



1754 14

20

24

FACULTATIS JURIDICAE
 DECANVS
CONR. WILHELMVS
STRECKER

ICTVS EMINENTISSIMI AC GELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGYNTINI
 CONSILIARIVS REGIMINIS, PRAEFATAE FACULTATIS ASSESSOR SENIOR, CO-
 DICIS PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, CIVITATIS ERFORDIENSIS
 SYNDICVS ET CONSVL PRIMARIVS,

AD AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

Ad L. Antiquæ 23. Cod. ad Scutum Vellej.

ET
 DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
 DE EO,

QVOD CIRCA

JVRIS IGNORANTIAM
 IVSTVM EST,

A
 NOBILI ET CLARISSIMO
 DOMINO

JOANNE FERDIN. KETTEMBEIL

ADVOCATO ELETOR. SAXON. IMMATRICVLATO

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

Die XVIII. Novembr. MDCCLIV.

HABENDAM LECTOREM BENEVOLVM

PERHVMANITER INVITAT



ERFORDIAE,

Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

P. 321





Inter personas, quæ fidejussionis munus obire & pro aliis intercedere nequeant, referuntur Mulieres *L. 8. §. 1. ff. qui Satisd. cogant*, adeò, ut mulieris intercessio per se alienationi litigiosi prædii vel liberi hominis, quæ ipso jure nulla est, comparetur *L. 27. §. 1. ff. ad Senatusconf. Vellej.* Opem enim, suadente æquitate naturali, ferre voluit Senatus mulieribus, tum, quia naturali quodam vitio magis sunt imprudentes, quam viri, atque mendaces, proindeque fluxæ prorsus fidei, tum quia propter consilii infirmitatem non raro contra propria commoda laborare solent *L. 4. C. de Sponsal.* tum quia virile quoddam munus est aliorum defensiones in se recipere *L. 18. C. de Procurat.* Intercessio autem pro alio nihil aliud est, quam virilis defensio, quæ verecundiæ muliebri plane non convenit, cum, sicut moribus omnia civilia officia feminis regulariter sint adempta; ita multo magis adimendum iis fuit officium, in quo non solum nuda opera, nudumque ministerium earum versatur, sed etiam periculum rei familiaris *L. 1. pr. ff. ad Scem Vellej.* ex qua lege colligitur, quod Senatus non modò ad sexus imbecillitatem, & judicii infirmitatem, sed & ad fortunarum periculum respexerit. Propterea Senatus Romanus cujuscunque ætatis & conditionis mulieribus, intercedentibus, modo Reginas, Ducissas, Comitissas, Abbatissas,

tissas, aliasque illustres fœminas Regalia & jurisdictionem exercentes excipias RYLAND. de Commissar. p. 1. lib. 1. c. 29. n. 6., succurrere voluit, iisque eam obligationem, quæ in alio Principali jamjam radicata est, constituendo, mandando, fidejubendo, expromittendo, defendendo, res suas pignori dando, vel etiam novam obligationem, quæ in alio nondum constitit, mutuum accipiendo aut promittendo, vel quocunque alio genere pro alio contrahendo in se recipiant, opem exceptionis, si nondum solverint L. 11. ff. ad SCtum Macedon. Replicationis in casu L. 17. §. 1. & fin. §. 2. ff. ad SCtum Vellej., vel conditionis, si solverint L. 40. pr. ff. de condic. indebit. concessit, ita, ut nihil referat, siue pro patre, matre, filio, fratre, marito, aliisque personis conjunctis, siue pro extraneo sese obligaverint, nihilominus amplissimi Ordinis beneficium iisdem competat L. 3. §. 8. C. ad SCtum Vellej., nisi in propriam utilitatem, vel accepto pretio, pro tertio se obstrinxerint, vel dolose egerint, vel de beneficiis suis in vel extra iudicium certioratæ, expresse vel etiam tacite, si nempe exceptionem sibi competentem in iudicio non opponant, renunciaverint, vel elapso biennio intercessionem factam reiteraverint, quia talis geminatio arguit deliberatam voluntatem & præsumptio circumscriptiois siue inductionis debilitatur L. 22. C. eod. Id quod procedit, si intercesserit fœmina pro extraneo, neutiquam verò si pro marito, ratio diversitatis constitit in eo, quod blanditiæ maritales & metus reverentialis etiam post biennium perdurent, quod secus in extraneo; Hinc obligatio uxoris pro marito, licet eam sæpius & multoties repetierit, regulariter manet inficax & nulla Nov. 134. C. 8. nisi manifeste probetur,

pecuniam mutuo acceptam in mulieris utilitatem con-
versam, aut illius luxu, splendido vestitu, aut illece-
bris, (utpote quod hisce temporibus non raro fieri ex-
pertos habemus) dilapidatam fuisse. *HERING tr. de*
fidejuss. C. 7. n. 405. Constat, quod, si uxor cum ma-
rito uno in instrumento tanquam correa debendi se
principaliter obligaverit, eadem ad solvendum non
vinculetur, sed, ea subducta, solus teneatur maritus;
ideo providi creditores sibi expetere solent, ut uxor in
instrumento se principaliter, maritus vero ut fidejuf-
sor, cum renunciacione beneficii ordinis se obliget,
quo casu uxor efficaciter obligatur. *L. 28. pr. ff. ad*
SCrum Vellej. GAIL. 2. C. 90. n. 8. Si uxor excipiat,
intercessionem subfuisse palliatam, sive in fraudem
aut. si qua mulier. C. ad SCR. Vellej. contractum ini-
tium esse, audienda quidem est, sed non in processu
executivo, sed post praestitam solutionem in iudicio
reconventionis, in quo intercessionem palliatam pro-
bare tenetur. *BERGER Occam. jur. lib. 3. tit. 3. ib. 8.*
not. 5. Utrum vero vidua, si post mortem mariti de-
bita ejus in se recipiat, adhuc *SCR. Vellej. vel aut. si*
qua mulier se tueri possit, Doctores non conveniunt:
Succurrendum adhuc suis Exceptionibus esse viduae,
putat *CARPZ. p. 2. C. 16. def. 3.* quia amor & respec-
tus conjugalis non tam cito cessaret, quo vidua im-
becillis iudicii decepta ad susceptionem debiti marita-
lis persuaderi potuerit. Alii distinguunt, an debitum
mariti ante vel post lapsum biennii a tempore obitus
in se susceperit, illo casu non, hoc vero efficaciter te-
neri opinantur, quia vidua non aliter ac foemina, quae
pro extraneo fidejussisset, considerata veniret, cujus
intercessio demum post lapsum biennii repetita effica-
cem

cem obligationem operaretur *L. 22. C. ad Sc. Vellej.*
Alii viduam, modò dolor quodammodo deserbuerit,
mariti defuncti debita in se fuscipientem etiam ante
lapsum biennii efficaciter obligari tuentur, quia intui-
tu mariti defuncti cessat ratio, causa efficiens, impulsiva,
& finalis, nempe blanditiæ maritales, metus & sæ-
vitia, quæ Imperatorem ad constitutionem *Nov. 134. C. 8. Et aub. si qua mulier* introducendam commovit,
cessante autem legis ratione, ipsam legis dispositionem
cessare constat. Deinde nemo negabit, mulieres omnes
contractus regulariter valide posse celebrare, proinde
& cum illis, qui creditores mariti mortui fuerunt, va-
lide contrahere, & illam obligationem in persona ma-
riti radicatam & per mortem extinctam in se per spe-
cialem conventionem posse quocunque tempore trans-
ferre, & indemnitate creditoribus promittere, adeo-
que tahi in casu proprie non intercedere, sed obligatio-
nem suam facere asserunt. *L. 8. §. 1. ff. ad Sc. Vellej.*
potissimum quia vidua solutionem debitorum à mari-
to contractorum ex singulari erga maritum pietate,
atque ad avertendam publicam bonorum proscriptionem,
& ut fama mariti conservetur, sanctè promissit;
cessat autem beneficium muliebri, ubi pium fit de-
bitum, quod à muliere recipitur. *L. fin. C. ad Scrum Vellej.*
Hanc ultimam sententiam veriore esse iudico
cum MEV. p. 7. *decif. 220.* COTHMAN. *Vol. 5. Resp. 48.*
STRVV. *in decis. sabbarb. C. 14. decis. 33.* STRYCK.
C. C. Sect. 2. C. 6. §. 8. WERNHERR. *Select. Obs. fo-
rens. P. 1. O. 262.* Plura de hac vel simili materia in le-
ctione sua cursoria explicabit

NOBILIS ET CLARISSIMVS JURIVM
CANDIDATVS

DOMINVS

JOANNES FERDINAND.
KETTEMBEIL,

Qui natus est Bretebiæ, pago in Ducatu Querfurtensi, patre IOANNE KETTEMBEIL, Art. Mag. & V. D. M. Matre vero ANNA DOROTHEA, nata BEYERIA, Patre præmatura morte rebus mortalibus exempto, in Orphonatrophium Langendorfense; prope Leucopetram, Tutore consentiente, profectus, ibique annum commoratus Erfurtum in Scholam ad D. Michaellem contulit sese, atque fideli Rectoris ERHARDI, institutione per triennium usus est. Finito hoc triennio, perrexit in Gymnasium hujus urbis celeberrimum, quod quidem ut faceret, commouit & excitavit eum fama Professorum STIELERI, WEISSENBORNI, DENNEMANNII, TIEMEROTHI & HEYSERI, hominum doctissimorum, e quibus tamen tantum non omnes cœlitibus adscripti sunt. Post vero, quando integrum annum hic exegerat, revertebatur in Saxoniam Electoralem, censebatque sibi adeundam esse illustrem illam Portam, quam Mafis uno ab Numburgo lapide prope Salam aperuit magnus ille in Toga ac Sago Heros Mauricius Elector. Quam Portam uti revera ingressus est; ita eum nunquam hujus consilii penituit: imo sibi de eo gratulatur, adeo quidem, ut quoties ejus recordatur, toties singularem percipiat voluptatis sensum. Et quidni? scilicet per quinquennium usus est doctoribus SCHREBERO, BES-
SERO,

SERO, SCHRAMMIO, FREYTAGIO, WEIDNERO,
HENTSCHELIO, HÜBSCHIO, viris doctis & ad id,
quod agerent unice natis. Poterat quidem, rebus
hic ex animi sententia peractis, Academiam petere;
verum ut Edicto Sereniss. Ducis Weissenfels. per eum
fatisfieret, proficiscebatur Weissenfelsam, atque in
Gymnasio Scholis REINECCIANIS, BÜTTNERIA-
NIS & POLEJANIS per annum intererat. Post
hæc, animo ad Juris artem appulso, Wittembergam
contendit, ibique Illustres Viros LEYSERVM &
CHLADENIVM universam Juris Encyclopædiam ex-
plicantes audiit: WERNHERVS ipsi exposuit Digesta,
MENGKENIVS Jus Feudale: Philosophiam vero
ipsam docuit Vir summus HOLLMANNVS, nunc
Georgiæ Augustæ Professor. Wittembergæ per trien-
nium commoratus est, quo circumacto, Lipsiam quo-
que inuisit, operamque dedit BAUERO, Jura Feudo-
rum Processumque & CRAMERO Jus Germanicum
doctissime enarrantibus. Anno hic exacto Wittem-
bergam reversus est, seque ibi ad Advocati munus
Legibus Saxonis accommodare præparavit, quibus
feliciter peractis cum honorificis doctorum testimo-
niis in patriam rediit, atque praxin juridicam, miner-
va propitia, exercuit. Versatus est in hoc officio ea,
qua potuit, dexteritate, quam cum perspicerent non-
nulli in patria Nobiles, hi ipsi crediderunt curam ju-
risdictionis suo nomine exercenda. Eminent in-
ter hos Perillustres Domini de HELLMOLT, Do-
minus in Kannawuff & Dominus in Bilzingsle-
ben, Domini de Trebra in Reinsdorff, Breleben &
Braunsroda & Dominus HOFFMANN in Harras,
quorum gratiam & benevolentiam hic publice præ-
dicat.

dicat. Ad nostram demum reversus Universitatem
petiit à Facultate nostra consuetum Candidatorum ex-
amen, & prævio illo, ad reliqua Specimina inauguralia.
Annuit Ordo noster ejus petitioni, textus ex utrò-
que jure elaborandos ei communicavit, quos ita
resolvit, & in ipso examine talem se præstitit, qui ad
reliqua Specimina edenda admitteretur. Quare die
18. Novembr., prævia lectione cursoria ad L. 23. C.
ad *Scrum Vellej.* disputationem inauguralem

DE EO,

QVOD CIRCA

IGNORANTIAM JURIS

JVSTVM EST

horis consuetis instituet, quibus actibus, ut Magnificus
Rector, reliqui Proceres Academici & LL. Cultores
interesse velint, ea, qua decet observantia, rogantur,
invitantur, Publ. sub Sigill. Facult. Jurid. die XVII.
Novemb. MDCCLIV.




ULB Halle
005 355 710

3







B.I.G.

Farbkarte #13

24

1754, 4

20

FACULTATIS JURIDICAE
 DECANVS
**CONR. WILHELMVS
 STRECKER**

ICTVS EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI
 CONSILIARIVS REGIMINIS, PRAEFATAE FACVLTAETIS ASSESSOR SENIOR, CO-
 DICIS PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, CIVITATIS ERFORDIENSIS
 SYNDICVS ET CONSVL PRIMARIVS,

AD AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM
Ad L. Antiquae 23. Cod. ad Sctum Vellej.

ET
 DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
 DE EO,

QVOD CIRCA

**JVRIS IGNORANTIAM
 IVSTVM EST,**

A
 NOBILI ET CLARISSIMO
 DOMINO

JOANNE FERDIN. KETTEMBEIL

ADVOCATO ELETOR. SAXON. IMMATRICVLATO
 IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

Die XVIII. Novembr. M DCC LIV.

HABENDAM LECTOREM BENEVOLVM
 PERHUMANITER INVITAT,



ERFORDIAE,

Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

P. 321